

magis cruciabimur si apud regem omnium qui non par-
20 tem terrae sed universum eius circulum tenet, immo qui
eam pugillo continet et caelum palmo metitur, qui por-
tat omnia verbo virtutis suae, apud quem gentes omnes
tanquam nihili et velut sputum reputantur; apud hunc,
inquam, ubi aeternos honores largiri coeperit, si nul-
25 lum habeamus locum et in nullo apud eum ministrorum
numero collocemur, nonne omni nobis poena cruciabilis
erit? Sed, dicis forte, sufficiet nobis evadere Gehennam
et dignos non fieri tanti regis adspectu. Quid illa anima,
cui hoc sufficit, infelicius? Quid miserius? Hunc autem
30 quem dicimus regem non putes quadrigis mularum aut
curribus aureis evectum vel ornatum purpura aut terri-
bilem potestate diadematis affuturum, cum ad iudican-
dam veniet terram. Sed audi quomodo prophetis adnun-
tiantibus, ut nuntiari hominibus fas fuit, praedicetur eius
35 adventus. Ait ergo quidam ex eis: « Deus noster mani-
feste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis ante faciem
eius ardebit et in circuitu eius procella valida, evocabit
caelum sursum et terram discernere populum suum. »
Alius vero qui et poenarum species nobis indicat, Esaias
40 hic est, audi quomodo dicat: « Ecce dies Domini veniet
insanabilis, dies furoris et irae, ut ponat orbem terrae
desertum et peccatores perdat ex eo. Stellae enim caeli
et Orion et omnis ornatus caeli lumen suum non dabit et
obscurabitur sol in ortu suo et luna non dabit lumen
45 suum, et mandabo universo orbi mala et impiis peccata